



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

264. Quòd Pascha & Pentecosten sit baptizandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

probè ad potiorem aspiraverit, canonica erga eum definitio conservetur.

De baptismo, & quo tempore celebrandus sit. *Ex canone Apostolorum.*

Can. Apostolor. c. 49.
Burchard. lib. 4. c. 22.
CCLXII. Si quis Episcopus aut Presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, sed in tribus sine initio principiis, aut in tribus Filiis, aut in tribus Paraclitis, abiciatur.

De eadem re. *Ex eodem.*

Can. Apostolor. c. 50.
Burchard. lib. 4. c. 23.
Math. 28.
CCLXIII. Si quis Episcopus aut Presbyter non trinam mersionem unius mysterij celebret, sed semel mergat in baptisinate quod dari videtur in Domini morte, deponatur. Non enim dixit Dominus *In morte mea baptizate*, sed: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.*

Quòd Pascha & Pentecosten sit baptizandum. *Ex epistola Leonis Papa.*

Decreta Leonis I. c. 11.
Burchard. lib. 4. c. 2.
Ibid. c. 12.
CCLXIV. Unde quia manifestissimè patet baptizandis in Ecclesia electis hæc duo tempora, id est, Pascha, & Pentecosten, esse legitima, dilectionem vestram monemus ut nullos alios dies huic observantiæ misceatis, quia sicut sunt alia quoque festa, quibus multa in honorem Dei reverentia debeat, principalis tamen & maximi sacramenti custodienda nobis est mysticæ rationis exceptio, non interdita licentia, qua in baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus subvenitur.

Ita enim ad has duas festiuitates connexas si-
bimet atque cognatas incolumium & in pacis
securitate degentium vota libera differimus, ut
in mortis periculo, in obsidionis discrimine,
in persecutionis angustiis, in timore naufragij,
nullo tempore hoc veræ salutis singulare præ-
sidium cuiquam denegemus.

De gravidis baptizandis. *Ex Concilio
Neocæsariensi.*

CCLXV. Gravidam oportet baptizari Concil. Neo-
cæsar. c. 6.
Burchard. lib.
4. c. 31.
quando voluerit. Nihil enim in hoc quæ parit
nescienti communicat, propterea quod unius-
cujusque suum propositum in confessione de-
claratur.

Baptizentur de quibus ignoratur an sint
baptizati. *Ex Concilio Carthaginensi.*

CCLXVI. Item placuit de infantibus, Concil. Car-
thag. 5. c. 5.
Lib. 7. Capi-
tular. c. 307.
Burchard. lib.
4. c. 45.
quotiens non inveniuntur certissimi testes qui
eos baptizatos esse sine dubitatione testentur,
neque ipsi sunt per ætatem de traditis sibi sa-
cramentis idonei respondere, absque ullo
scrupulo eos esse baptizandos.

De baptizatis qui non confirmati moriun-
tur. *Ex Concilio Heliberitano.*

CCLXVII. Si quis Diaconus regens Concil. Eli-
ber. c. 77.
Burchard. lib.
4. c. 92.
plebem sine Episcopo vel Presbytero aliquos
baptizaverit, Episcopus eos per benedictio-
nem perficere debet. Quod si antè de seculo
recesserint, sub fide qua quisque credidit po-
terit esse justus.